

verbalem degradationem. Denique ex prop. 2. ab Inn. XI. damnata, hæc sententia est à Judice omnino amplectenda, cum sit probabilior ob motiva, tam intrinseca, quam extrinseca communis sequela Doctorum, & tunc, quatenus non exponit periculo nullitatis sententia, in causa, & materia tam gravi. Vide n. 108.

Forma, & solemnitas actualis degradationis

4538. **H**abetur in *2. de Pœnis* in 6. Constructo eminenti talamo ligneo extra Ecclesiam; ibi Episcopus cum suis assistentibus sedet, ibique aptatur mensa cum sacris vestibus, & instrumentis Ordinum, quibus reus induitur; sicque indutus cum vase, seu libro ad suum Ordinem spectante, coram Episcopo comparet: inde ab eodem coram populo dicitur vestibus, & insignibus spoliatur, Ordine prapostero, incipiendo scilicet ab ornamento, quod in susceptione Ordinum fuit ultimum; utendo in singulis spoliationibus verbis horrores, oppositis eis; quæ in collatione Ordinis proferuntur; v. gr. in remotione casula: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali privamus.* In remotione verò ultimi instrumenti, quod in Ordinum susceptione fuit primum, dicitur: *Autharitate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & eximus te omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali.* Non solum aptem spoliatur vestibus, & insignibus Ordinum, sed etiam veste talari, aut habitu Religioso. Insuper raditur in capite; & si est Sacerdos, in manibus; idque ad terrorem tantæ condemnationis. Sic expoliatus signo calcei repellitur, & inde traditur, ac relaxatur Judici seculari, ut ejus jurisdictioni, tanquam purè laicius subdatur. Inde per satellites ad Curiam seculari carceres ducitur ultimo supplicio plectendus; Episcopus tamen à Judice seculari petit, ut misericorditer agat, & reum citra mortis, vel mutilationis poenam puniat. Arauxo *tract. 1. q. 4. n. 15. Clericus cap. 153. num. 13.*

*Crimina, ob quæ Clericus est degradandus, & relaxandus, 4539.* **J**ure Canonico sunt tria. 1. Crimen hæresis manifestum. *Cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus, de Hæret. &c. 1. eod. tit. in 6.* Requiritur, quod reus sit relapsus, vel negativus, seu impenitens, convictus tamen per legitimos testes, etiam super credulitate, & pertinacia.

4540. Secundum est falsificatio Litterarum Papalium, *cap. Ad falsarium, de Crimine falsi.*

4541. Tertium est gravis calumnia proprio Episcopo illata, *cap. Si quis Sacerdotem 17. 11. q. 1. Requiritur incorrigibilitas. Gloss. in cap. Cum non ab homine 10. de Judic. Abbas cap. At si Clerici, n. 37. eod. tit. Suar. de Cens. disp. 30. sect. 2. n. 4. Dicant. de Cens. tract. 10. dub. 2. n. 24.* Qui addit, hoc esse commune omni crimini enormi, aliquo in Laicis mortis poena digno, ut à n. 781. ad 790.

4542. Ex Constitutionibus Pontificiis adduntur. 1. Sodomia frequentata: S. Pius V. *Const. 72. Horrendum illud.* 2. Clericus non Sacerdos Missam celebrans;

aut Confessiones audiens, & absolvens. Clem. VIII. *Const. 81. Esi alias.* 3. Solicitans in confessione mulieres ad turpia gravitate excessiva. Greg. XV. *Const. 34. Universi.* 4. Monetari, vel monetas ton dentes, aut falsificantes intra Italiam. Urb. VIII. *In suprema,* ann. 1627. *ut in n. 790. 5. Copulam sacrilegam, & frequentem cum Moniali habens. Pign. tom. 8. conf. 91. n. 7.* Sed attendenda est praxis, nam in pluribus nempe in 2. & 3. casu praxis est contraria.

4543. Denique Phœb. *lib. 4. tit. 18.* habet. Generaliter omne crimen enorme, quod sit dignum poena mortis in laico, ubi per. Ecclesiasticas poenas corrigi non possit, satis esse, ut Clericus propter illud seculari potestati tradatur. Colligitur ex *cit. cap. Cum non ab homine 10. de Judic. & notat Panor. in cit. cap. At si Clerici 4. eod. n. 30. & seq. Laym. in cit. cap. 5. n. 6.* allicque apud ipsum.

4544. Idem habet Joan. Dicant. *tr. 10. disp. 6. dub. 2. n. 25.* Universaliter loquendo sive de jure, sive de consuetudine, docent non pauci authores, degradari posse ob aliud crimen nimis enorme, atque Reipublicæ valde perniciosum, tradique Magistratui seculari. Ita Panor. *cap. At si Clerici, n. 39. & cap. Cum non ab homine, n. 6. de Judic. Sylv. ver. Degradatio, q. 2. Tolet. supr. cap. 6. Tertia est. Avila cir. dub. 9. Molin. disp. illa 49.* Exemplum adhibent in homicidio non simplici, sed qualificato, ut constat ex *eod. cap. Cum non ab homine.* Unde Parricidium, vel simile quid tali poena dignum est. Item furtum non simplex, sed valde qualificatum, ac sacrilegum; nam cum pro his criminibus Ecclesia non habeat condignam poenam, merito reus Judici seculari remittitur.

4545. Demum n. 30. subdit: Pro praxi est maxime notandum, Magistratum secularem in causa criminis merè Ecclesiastici, v. gr. in causa hæresis, non posse cognoscere, & judicare de tali crimine; sed tantum secundum latam declarationem sententiam à Judice Ecclesiastico. exequi juxta *cap. Ut Inquisitionis, §. Prohibemus, de Hæret. in 6.* In crimine verò non merè Ecclesiastico, potest petere à Judice Ecclesiastico processum, ut illius justitiam cognoscat, & examinet, & deinde reum sibi traditum, sique fori effectum puniat. Ita Panor. *cap. 1. n. 12. de Offic. Ordin.* Sed quantum ad hoc, omnino vide dicta à n. 4451. ad 4470. maxime à n. 4469. & seq. quibus me remitto, & adhæreo. De Irregularitate, & Pœnis fusè agunt Fagnan. *lib. 5. cap. Ad audientiam, de Homic. Phœbeus in Inst. Canon. tit. 18. & 19. & alibi sub propriis titulis. Maltr. disp. 13. quest. 5. Leand. tom. 5. de Pœni. Tamb. tom. 2. lib. 10. tract. 4. Gobat in Experimentis, tract. 8. & pluribus in locis. Joan. de Castill. de Cens. disp. 6. & 7. Anton. à Spir. S. de Cens. & Pœni. tract. 13. Matthæus. in Offic. Curie, tom. 2. cap. 8. à pag. 117. Mend. in suis titulis.*



## TOMUS SECUNDUS, EXAMEN CONFESSARIORUM, DE DENUNCIATIONIBUS.

### PARS PRIMA,

#### DE DENUNCIATIONIBUS FACIENDIS AD MONITORIA Papæ, & Episcoporum.

### CAPUT I.

#### DE SUPERIORIBUS, QUI POSSUNT MONITORIA EDERE.

1. **D**E Summo Pontifice nulla est difficultas.

Quantum ad alios, soli Episcopi, ex *Trid. sess. 25. de Reform. cap. 3.* possunt monitoria, seu edicta edere pro rebus, aut scripturis deperditis, seu occultatis ad finem eas restituendi, aut revelandi, sub excommunicatione majori lata sententiæ, ipso facto incurrenda, restitutione, vel revelatione non facta intra certum terminum.

2. Ea concedere possunt Vicarius Capituli Sede vacante. *Rodriguez tom. 1. cap. 17. num. 6 Diana part. 8. tract. 4. res. 17.* quia Capitulum Sede vacante succedit in jurisdictione ordinaria Episcopi.

3. Generales Religionum, eorum Visitatores, & Provinciales, qui habent auctoritatem quasi Episcopalem: item Abbates Benedictini: & similes Prælati, qui solum sunt Generali subiecti: quia pro Episcopis habentur. *Imoc. ex cap. 1. de Cleric. peregrin. non tamen Priores, & Guardiani, & similes Superiores locales, qui alios Superiores majores habent subus Generali. Tancr. tom. 5. tract. 4. q. 2. n. 1.*

Adeoque Superior localis, v. gr. Prior, Guardianus, &c. si monitorium ad finem revelationis pro rebus deperditis, aut subtrahitis edat, invalidè edit, quia in hac re non est Judex competens, ob Decret. Concil. Trid. modo sub *num. 5.* adducendum, quod licet non excludat Prælatos Regulares, auctoritatem quasi Episcopalem habentes, uti sunt Pro-

vinciales, qui quidem jurisdictionem habent supra totam Provinciam, confessiones, dimissiones, absolutiones, dispensationes, &c. suis subditis concedendo, qua munera soli Episcopo prælata valent; excludit tamen Superiores locales; quoniam certum est, eos non habere auctoritatem, quasi Episcopalem.

Eos tamen posse monitoria edere in suis Monasteriis, non quidem ad finem revelandi pro rebus deperditis, aut subtrahitis, sed pro aliis delictis, docet cum permultis Melphi, *de Pœnis, cap. 28. q. 1. & 2.* quia sunt Prælati habentes administrationi conjunctam jurisdictionem cum vi coercitiva, sine qua inutilis esset eorum jurisdictionis, utpotè inermis, discipline regularis gladio destituta; ac proinde excommunicare possunt, etiam in scripto, *ex cap. Cum in Eccles. de Major. & Obediens.* non quidem per modum statuti, & legis, sed per modum præcepti, uti fit per monitorium. Hinc in Religionibus, ubi Apostata, seu fugitivi non sunt excommunicati à jure, potest Superior localis suum subditum per monitorium, & sub excommunicatione, ut v. gr. intra tres dies, ad Monasterium redeat, revocare.

Disparitatem autem de excommunicatione pro rebus deperditis affert. Melphi *cit.* quia hæc solet esse solemnior, ac majori gravitate, & circumspeditione exercenda, atque ideo ad majores Prælatos reservatur privative, quoad Prælatos locales.

4. Potest Episcopus monitorium ferre contra testes ad dicendam veritatem, antequam lis sit incepta; quia veritas omnibus vis indagari debet, nec probandi facultas est restringenda, ex cap. de Probationibus. Abbas conf. 15.

Item potest illud ferre non solum post litem inceptam, ut est certum; sed etiam si ut mota coram Judice seculari, & non obstante litis pendentia coram ipso Judice seculari. Tancr. cit. quest. 6. & apud ipsum, Raynaudus de Monit. part. 1. cap. 1. q. 13. & alii contra Nevizan. Insuper potest monitorium edere, delicto jam constante, sive jam sit factum, sive in fieri pendens in futurum.

QUÆRES I.

5. Pro quanta materia potest Episcopus monitoria concedere?

In hac re regulam dat Trident. cit. num. 1. his verbis:

Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiastica disciplina, & ad continendos in Officio populos, valde salutarius, solent tamen, magna que circumspicione extendendus est: cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutitur, magis contumacia, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationis illa, que monitoriis præmissis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, seu substractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernatur; & tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata.

6. Et quia sumus in re gravi, quanta est exponere ad perniciem, & contemptum censuras datas ad salutem, peccant mortaliter præfati Superiores, monitoria concedendo pro re vulgari, & sine maturitate. Vide tom. 1. de Casibus reservatis.

7. Et licet quantitas duorum Juliorum in materia furti, & duorum aureorum in materia voti paupertatis sufficiat ad mortale, non sufficit ex se, ut pro ea possint sine mortali monitoria concedi, sed requiritur major quantitas; sicut major requiritur ad incurrendas penas Clem. VIII. de Largit. Muner. Requiritur, inquam, talis quantitas, quæ sit materia subiecta penis fori externi, & punibilis in judicio summa autem duorum aureorum in jure dicitur summa modica, ex leg. Si oleum 15. fin. juxta leg. seq. Pelliz. tract. 6. cap. 9. num. 10.

8. Hinc ex Tancr. cit. q. 1. num. 2. & Zeechio, apud ipsum, res vulgaris, pro qua non possunt monitoria ferri mortali concedi, est, si non ascendat summam decem aureorum. Imò Episcopi neque pro hac summa solent monitoria concedere, nisi exeat viginti aureos.

9. Dixi ex se, quia summa duorum aureorum, aut alia in se parva, potest esse gravis, & non vulgaris in jure ex circumstantiis: figuratur casus.

QUÆRES II.

10. In Monasterio bene disciplinato Religiosorum, ubi cella claudi non solent clavibus, & cella unius fuit ablata res valoris quinque Juliorum. An Superior Provincialis pro ea monitorium edere possit?

Suppono 1. Sententiam plurimum Doctorum, de pauper. Reliq. & factis Religiosorum, allatam materiam esse levem, tam in ratione paupertatis, quam furti; de quo in tom. 1. est mea resolutio.

11. Suppono 2. Superiorem alias diligenter egisse, sed inutiliter. His suppositis,

12. Resp. posse Tancr. cit. q. 2. & apud ipsum Suarez, Tamb. de Jure Abbat. & alii. Ratio est, quia licet materia sit in se levis, est tamen determinata, etique est adjuncta ratio spiritualis publici boni, nempe ad pacem communem, ad bonum Monasterii, ejusque disciplinam servandam, & gratia ad Superiorem in Monasterio respectum, & gravem inde obligationem in subdito ad restituendum, vel revelandum, quamvis materia in linea justitiæ sit levis, evadit enim gravis in linea obedientiæ.

13. Declaratur ex cit. DD. Quando materia est ex se levis, tunc, cum non inducat obligationem gravem ex vi justitiæ, addi debet præceptum Superioris, & sic eam inducit ex vi obedientiæ; hoc autem præceptum non debet addi pro quolibet materia levi, sed pro ea, in qua apparet aliqua ratio spiritualis ita gravis, ut sufficiat ad inducendam obligationem gravem, quæ scilicet respiciat bonum Communitatis; & pro ea imponitur excommunicatio, quæ quidem, cum sit gravissima pena, non debet ferri pro veniali, nec pro quocumque peccato mortali, sed pro mortali inobedientiæ, & contumaciæ: neque pro quolibet inobedientiæ, sed pro gravi, & enormi, quod aliter curari non potest.

Ita res se habet in casu, ubi monitorium sub excommunicatione ferretur, non ad reparandum bonum temporale personæ læsæ, nec ad spirituale personæ particularis, nempe ad impediendum peccatum mortale personæ, quæ furripuit, sed ad reparandum bonum spirituale Communitatis, quod consistit in pace communi, & in Regulari disciplina: hinc concludit Tancr. in hoc casu monitorium obligare subditum ad revelandum furem rei levis, aliis minimè, ut in tom. 1. de Casibus reservatis.

14. Idem dicendum puto de Episcopis, quoad suas Moniales, & de Superioribus Provincialibus Religionum in suis Monasteriis, præsertim pro juvenibus secundi Novitatus, ad eorum disciplinam servandam, quæ laxatis habentis rueret.

QUÆRES III.

15. In quadam populari tumulu plures deperdati sunt domus cujusdam nobilis, Episcopus monitorium edidit, ut sub penis excommunicationis, qui detineret bona talis domus, restitueret, & qui detinere non sciret, revelaret. An tale monitorium obliget ad restituendum, aut

aut revelandum eum qui detinet, aut qui scit detinere rem levem?

Resp. vel ille fuit simul cum aliis ad furtum, & tunc, licet furatus sit rem levem, peccavit mortaliter, & tenetur ad restituendum totum dampnum in solidum in defectu aliorum eum jure ab eis repetendi, quia fuit causa partialis partialitate causæ, sed totalis totalitate effectus, ratione mutui comitatus, qui fuit causa totalis totius furri, quod proinde totum attribuitur singulis, & multò magis, si alios excitavit. Et talis detentor, sicut & illum sciens ligatur monitorio; ita ut teneatur sub censura ad restituendum rem levem, & respective ad revelandum.

16. Quod si intra terminos monitorii sciat, alios restituisse, non tenetur sub mortali ad restituendum, nec ligatur monitorio; quia licet graviter deliquerit rem levem furripiendo, leviter delinquit eam detinendo: tenetur quidem restituere, sed ex vi justitiæ, & sub veniali, minimè ex vi obedientiæ, seu monitorii, & sub mortali, quatenus ex justitiæ commutativa læsæ oritur obligatio ad restituendum conformis qualitati culpæ in accipiendo, aut detinendo, quæ in isto, facta aliorum restitutione, est venialis.

17. Vel fuit solus, & tunc, si nescierit, & nesciat, alios furatos esse, utique non tenetur sub mortali ad restituendum, & consequenter non ligatur monitorio; quia non cooperatur formaliter, sed solum materialiter ad dampnum notabile alterius.

18. Difficultas est, si iste quando furatus est, sciverit, alios esse furatos, aut si id sciat postea, promulgato monitorio. Tamb. lib. 8. tract. 2. cap. 5. num. 2. Busemb. lib. 8. tract. 4. cap. 1. dub. 3. num. 3. cum aliis dicunt, eum non peccare mortaliter, adeoque non ligari monitorio, quia hic non est causa furti alterius.

19. Dico tamen, istum obligari ex vi monitorii, & sub censura ad restituendum, ac respective ad revelandum. Tancr. cit. quest. 1. num. 8. peccavit enim graviter, cum tali scientia rem levem accipiendo, ut si tunc ignoravit, adventiente noticia, incipit peccare graviter detinendo. Bonac. tom. 1. de Obligat. denum. disp. 6. pag. 895. num. 9. tom. 2. pag. 1161. num. 6. & alii, in tom. 1. de Furto; quia licet iste stante scientia, quod alii sint furati ab eodem, non sit causa impulsiva ad furtum aliorum, est causa cooperativa ad notabile dampnum alterius; licet enim singuli quid leve rapuerint, omnia tamen hæc levia notabile dampnum constituunt, quod cum possint reparare, si singuli restituant, quod acceperunt, singuli peccant mortaliter detinendo, & consequenter singuli monitorio ligantur.

QUÆRES IV.

20. Hæret ab investito succedens pretendit testamentum Petri in persona Pauli extranei esse nullum, neque factum ab eo, quando erat sensibus destitutus,

& quia testes in testamento scripti recusant veritatem aperire, nisi coacti, petri ab Episcopo monitorium, ut qui nullitatem testamenti scirent, revelarent. An possit Episcopus monitorium concedere?

Casum proponit Tancr. cit. quest. 3. cum quo

21. Videtur quod non possit. 1. Quia monitoria non sunt concedenda, quando sunt inflamatoria alicujus. Probus in cap. de Constit. & alii; tale est præsens, nam ex hac revelatione sequitur infamia, quod Paulus, & Notarius testamentum fecerint cum fraude. 2. Quia nec sunt concedenda, quando personæ sunt certæ, ita ut si debitor, aut delinquens sit certus, non teneatur alii, postea monitorio, revelare. Barbosa in Conc. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 3. num. 2. Sotus, & alii; sic est in casu, ubi testes sunt certi, quia scripti.

22. Resp. autem Tancr. posse Episcopum monitorium concedere, & eo testem obligari ad revelandum. Quia cum quilibet sit præsumendus bonus, nisi certò constet, quod sit malus, præsumi debet, quod nec Paulus, nec Notarius adverterint; Petrum esse jam sensibus destitutum; & sic ex revelatione non sequitur eorum infamia.

23. Nec obstat, quod testes sint certi: quia posse monitorium ferri contra testes, quando sciunt & renunt veritatem dicere, docent Oliva, & alii, quos refert Barbof. de Poesat. Episc. Alleg. 96. num. 17. & Riccius part. 1. decis. 219. qui in Praxi rerum for. Eccles. decis. 275. num. 7. ulterius addit:

24. Posse concedi monitoria contra confesos simulatè contractus in grave tertii præjudicium, ut puta; si quis fidei, & apparet fecerit donationem, & prædicti alicui exemplo, ut à collectarum, & ruralium onorum solvantur illorum, ad quos postmodum pro rata ratione hujusmodi collectæ solvenda onus spectabit, juxta traditã per D. Joannem Bapt. Conf. in tract. de Port. rata, q. 149. num. 2. & q. 159. in hoc casu, & similibus ad monitoriales jure recurri potest, ut testes de hac re edoceri videntur manifestare, & simulationem detegere; ne talis fraudulenter cum aliena jactura locupletetur.

25. Concedit autem Tancr. cit. quest. 4. quòd possit Paulus appellare à Decreto Episcopi de confessione edicti; quia Decretum concessionis edicti æquivaler Decreto, testes admittendos esse, vel non, ex Lanfranc. decis. 125. à quo Decreto conceditur appellatio ex Bal. l. Post sententiam, verb. Pone ergo, Cod. de Sent. interloc. omni. judic.

26. Quia appellacione pendente, præfati testes non tenentur revelare, Ex cap. Delictis, de Appel. cap. Licet, de Sent. excom. q. 6.

Tancr. cit. q. 1. num. 2.

## CAPUT II.

DE ILLIS, QUI EX VI MONITORII  
denunciare tenentur.

27. **D**enunciatio est criminis proximi manifestatio facta Superiori. Est duplex, paterna, seu Evangelica, quæ fit Superiori tanquam patri, quæque bonum, & emendationem fratris intendit; & judicialis, quæ fit Superiori tanquam Judici, ut suo munere faciat, quod judicaverit expediens, sive delinquentem puniendo, sive damnum reparando, sive utrumque faciendo. Denunciatio Canonica dicitur talis, quatenus est Regula Evangelica, juxta illud Matth. 18. *quod si eos non audierit, dic Ecclesie.* Vel ex præcepto Superioris Ecclesiastici, sed non distinguitur à paterna, vel judiciali; quia vel fit Superiori tanquam Patri, & sic est paterna, vel tanquam Judici, & sic est judicialis.

28. Denunciatio judicialis, alia est spontanea, alia ex præcepto Superioris. Prima obligat ratione charitatis, secunda ratione charitatis, & obedientiæ, de qua est formo in præfenti.

29. Hinc revelatio fieri debet Judici cum Notario in scriptis, quia fit, ut pars ea uti possit, & Ecclesia valeat per eam delinquentem revocare à peccato.

30. Denunciatio judicialis ab accusatione differt, quia accusator suscipit in se onus probandi; quod si non probet, subjicitur pœnæ talionis; non sic denunciator; licet teneatur manifestare testes, si qui sint, Judici, qui in se sumit onus probandi.

31. Qui denunciare tenetur, non liberatur ab onere, si promiserit, & juraverit, se non denunciaturum; quia juramentum de re illicita non tenet; quoniam non est vinculum iniquitatis. *Cap. Quanto de Jurejurando.*

*Si non est culpa,*

32. **Q**UI non revelando excusatur à culpa mortali, excusatur ab excommunicatione; quia hæc necessario supponit, tanquam materiam culpam mortalem *num. 107.*

33. Propterea, quando edictum præcipit denunciare fures, aut injustos detentores, non est denunciandus, qui detinet ob justam compensationem, aut aliam justam causam, etiam si peccaverit accipiendi, quatenus poterat alia via, aut sine scandalo, &c. suum recuperare; quia est justus detentor. *Bonac. tom. 1. de Oblig. denun. disp. 6. pag. 894. num. 1.*

34. Nec sciens hujusmodi detentorem, tenetur eum revelare, si sciat eum detinere ob justam compensationem, &c. aut non restituere ob impotentiam, vel aliam justam causam, puta, quia scit, creditorem abustum fore re restituenda, &c. *Bonac. cit. num. 3. & 4.* quia sicut liberantur in his casibus à culpa, & censura ipsi principales, ita & eos scien-

tes, & nullus tenetur innocentem prodere, eò maxime, quia mens Judicis est inquirere de delicto, & hac ratione reus juridicè interrogatus à Judice de homicidio, respondere non tenetur, si illud sine culpa commisit, puta ob justam sui defensionem. *Diana p. 3. tr. 5. ref. 66.*

35. Tenetur autem sciens revelare eum, qui est impotens in totum, si possit quoad partem restituere, aut pro futuro tempore, nisi sciat, eum esse paratum ad restituendum, cessante impotentia. *Bonac. cit.* quia sicut delinquens non excusatur simpliciter à restitutione ita nec sciens à revelatione.

36. In dubio de justa compensatione, impotentia, &c. facienda est denunciatio, nisi rationabiliter deponatur dubium, quatenus eam audivit à fidedigno, &c. *Bonac. cit. num. 6.* quia possessio stat pro præcepto Superioris, quod est certum, & solum dubia est excusatio.

*Dammum grave sui, aut suorum.*

37. **N**ON tenetur quis denunciare in causa propria, seu in delicto commissio in sui damnum; quia potest offensus injuriam, & damnum remittere juxta consilium Evangelicum: *Dimittite vobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c.* Contra quod non debet præsumi, Superiorem velle obligare. *Bonac. cit. pag. 892. 5. 3. num. 1.*

38. Excipitur, si denunciatio præcipiatur in bonum publicum, seu in punitionem delinquentis, ut fuit denunciatio in causis fidei; quoties enim Superior in Edictis pro delictis, etiam contra privatam personam commissis, punitionem intendit, intendit bonum publicum, nempe ut exemplo, & timore pœnæ alii coercentur à malo, ac securius, vivant; id solet contingere in delictis homicidii, furti, adulterii, & similibus, quæ graviter publicam pacem, & securitatem, conturbant, *num. 65.*

39. Non tenetur denunciare, si ex denunciatione prudenter timeat sibi, aut suis usque ad quartum gradum aliquod grave damnum contra aliquod ex quatuor bonis hominis, animæ, scilicet, corporis, famæ, & substantiæ corporalis, quod sit præferendum damno alterius. *Bonac. cit. Diana p. 9. tr. 8. ref. 48.* quia præcepta humana, & positiva non obligant cum tanto incommodo. Hinc nec testis juridicè interrogatus à Judice, tunc respondere tenetur. Unde (ait Bonac.) si privatum novisti aliquod delictum, & dignoscas, quod delinquens sciat, te scire, non teneris denunciare, si exinde grave malum tibi times, aut tuis; quia malum tuorum valde conjungentorum est etiam tuum, cum illud acriter sentias, & foret plus. *Vide num. 113. & 123.* Hinc fur occultus non tenetur se prodere, curare tamen debet, ut res restitatur domino per amicum fidelem, aut probum Confessarium. *Vide num. 179.*

40. Non tenetur quis ex vi monitorii denunciare conjunctos intra quartum gradum, etiam si non adsint alii testes. *Tanc. tom. 5. tr. 4. q. 20. Diana*

*p. 5. tr. 13. ref. 67.* qui ex Raynaldo de Monitoriis, p. 1. cap. 3. q. 20. & 14. Lopez, Avila, Silv. Bannius, & alii, apud Dianam p. 8. tr. 7. ref. 10. qui cum Escobar id tenet, tam de consanguineis, quam de affinibus, usque ad quartum gradum. Quorum ratio est; quia non debet lex Ecclesiastica cedere in benignitate legi civili, ut velit eos ligare, quos lex civilis non obligat. Tum quia si conjunctus ageret, ut denunciaret, aut testis contra conjunctum, orientur inter familias, & conjunctos dissensiones, & odia, & tolleretur domorum pax, quod valde nocet Reipublicæ; ex qua ratione Raynaudus, & Diana eos à denunciando eximunt, necum in causis criminalibus, verum etiam in civilibus; ac insuper rejiciunt limitationem, quam facit Bonac. *tom. 1. disp. 6. cit. 5. 3. num. 5.* quod prædicti teneantur denunciare, si valent sine gravi damno sui, aut suorum: rejiciunt, inquam, quatenus à tali revelatione non potest grave damnum abesse, puta discordiæ, & odia. Cæterum licet regulariter ita fit, infra tamen ostendam casum, in quo nullum ex revelatione conjuncti damnum sequitur. *Vide num. 122. & seq. & num. 128.*

41. Iisdem rationibus non tenetur maritus uxorem revelare; quia sunt una caro; nec gener, & nurus focerum, & è converso. *DD. cit.* quia focer succedit loco patris, & gener, ac nurus veniunt nomine filiorum, taliter, ut sicut filii non incurrunt excommunicationem communicando cum patre excommunicato vitando, ita nec gener, & nurus communicando cum focero excommunicato vitando: ut, cum de censuris, diximus.

42. Imò Genuensis, Angelus, & Silvester, *verb. Familia*, apud Bonac. *cit.* id extendunt ad familiam, nam ex revelatione facta à familiari orientur discordiæ inter familiares, sique tolleretur quies, & pax domus; hinc commune bonum familiæ, & Reipublicæ exposcit, ut evitentur dissensiones inter familiares, quod ipse Bonac. amplectitur, quando denunciandi non esset periculum gravis damni.

43. Idem tenet de amico conjunctissimo, seu æstæ amicitie, & de insigni benefactore Raynaudus, & Diana *cit.* quia eorum revelatio graviter exasperaret, & feriatem, aut non levem ingratitude nem redoleret. Oppositam autem sententiam, nimirum personas privilegiatas, nempe consanguineos, uxorem, &c. teneri ad denunciandum, aut testificandum, quando non sunt alii testes, aut qui denunciare valeant, tenent Venerus *lib. 2. cap. 10. num. 18.* Montalvus *lib. 2. Legum fore. cit. 8.* Sanchez in *Consil. lib. 6. cap. 11. dub. 18. num. 9. & alii*, quos refert Diana p. 8. *cit.* ex Gloss. in *cap. Quamquam 14. quasi. 2.*

44. In resolutis à num. 41. pro sententia excusante, excipitur casus, quo ex non revelatione immineret grave damnum Reipublicæ, puta, si ex non revelatione conspiratoris, civitas revelat tradenda hostibus, tunc quidem tenetur filius revelare patrem, etiam cum periculo suæ vitæ, si non possit aliter

malum futurum evitare; quia tenetur quis propriam exponere vitam pro salute Patriæ.

45. Nemo tenetur ex vi monitorii revelare se ipsum, & consequenter, nec complices delicti, nisi quando juridicè interrogatur. *Bonac. cit. num. 3.* quia revelatio cederet in sui damnum; tunc autem juridicè interrogatur, quando præcedit infamia, vel semiplena probatio, aut indicia sufficientia, quæ illis æquivalent. *Aret. in Præf. Crim. pag. 225. & 244. Melphi verb. Reus;* tenetur verò sub excommunicatione restituere.

46. Filius spiritualis tenetur patrem spiritualem denunciare; quia etiam potest esse testis contra illum. *Bonac. cit. num. 7.*

## TERMINUS.

47. **Q**UI non denunciavit intra terminum in Edicto præscriptum, qui solet esse octo, vel quindecim dierum, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem, nisi ex justa causa excusetur, vel nisi sit legitime impeditus, aut ignoret monitorium. *Vide à num. 731.*

48. A qua excommunicatione à nullo potest absolvi, nisi satisfacta parte, nempe nisi obediatur, nam elapso termino non expirat obligatio, sed semper tenetur revelare, cum commodè potest, nisi cesset præceptum, puta si cesset ejus finis, &c. quia terminus non ponitur ad finiendam obligationem denunciationis, sed ad maturandam, & sollicitandam denunciationem, & talis censura absolutio in monitoriis reservatur. *Vide à num. 720. ad 736.*

49. Eum, qui intra terminum non revelavit ob ignorantiam edicti, impedimentum, aut aliam justam causam, adveniente ejus noticia, aut cessante impedimento, elapso jam termino, non amplius obligari ad revelandum ex vi monitorii, tenent Tancr. *tom. 5. tr. 4. q. 7. num. 5.* Sanchez, Raynaudus, apud ipsum; quia hujusmodi edicta non habent rationem legis, & constitutionis universalis, sed simplicis mandati, ac precepti concessi ad partis instantiam, ac proinde sunt transitoria: hinc est, quod dentur pro determinato tempore octo, aut quindecim dierum. Quod si nullum assignetur tempus, non durant, nisi per spatium duorum, aut trium mensium. Sanchez *lib. 6. Conf. cap. 2. dub. 35. num. 5.* cum aliis. Tum quia iste non fuit in culpa non revelandi intra terminum, nam tunc ignoravit edictum, aut fuit legitime impeditus. *Vide num. 242.*

50. Eum autem teneri sub censura ad revelandum, adveniente noticia, aut cessante impedimento extra terminum, docent Bonac. *tom. 1. pag. 897. num. 2.* & apud ipsum Suarez, Rodr. Filliuc, nisi censura sit lata solum contra contumaces præteritos, qui intra terminum jam elapsum non revelaverunt. Cui sententiæ adhæreo cum duplici limitatione. 1. Quod tempus notitiæ, aut impedimenti ablato non distet notabiliter, sed sit proximum termino edicti, puta per duos, aut tres menses. 2. Quod revelatio tunc